NOBILISS.mo ILLUSTRISSQ.mo
CONSTANTINO HUGENIO
SALEHEMI COMITI
Toparchae in Zuylicheim

Gottefr. Wendelinus

Euphrasiam tuam, totamque eius Ευφραδίαν, ἐυφραυθεὶς ego accepi, munus auro mihi omni carius; quod istis tot gemmis fulgurat. imò enimuero gemma totum ipsum est: quae mole nullâ tanti pretij moles est. Non est verò, ut a me exspectes retaliari eiusmodi quidpiam: nimis ego saxeus sum ac saxum totus, quam ut dignum reponam praeter confessionem istam, cui bonitas tua pretium statuet, iuxtà cum conatu meo, in quo desudo hactenus circa SALICARUM LEGUM NATALE SOLUM, et SALEHEMI tui, suam abs te, tuam pro illo gloriam: Multa mihi suppeditarunt in his oris nostra monasteria Trudonense atque Auerbodiense: potest aliquid adiutare et Ecclesia Mariana Traiectensis; sed est illic mihi res cum felibus Librarijs, publico inuidis, sibimet improbis. ut non videam mihi ad illarum scrinia parabilem aditum nisi per Gubernatorem illic Vestrum, atque id quidem illis nescientibus me aut illic esse aut mihi quidquam agi. sunt penes illos Diplomata Comitum Lossensium mirùm quàm huc facientia, quae ut furtim possim inspicere Tu dispice, et antiquitatem istam saltem ab anno 1200 delitescentem exobrue. Verbulo id potes. Ubi significaueris, adero apud Gubernatorem occultus, et Vnius diei res erit. Inter haec autem et Puteani τοῦ μακαρίτου tam sacra semper apud te memoria iuxtà mecum deposcit ne non toti orbi per te toties intonata, praedicationis sit constatura fides. hoc est, ut adflictam domum (quà pote) adiutes. quod te item orat obsecratque

Nobilitati Tuae Ill.mae Substratus
Gottefridus Wendelinus

Wustharcâ Salicarum legum (ex parte) natali solo Wusogasti domicilio. Nonis Iulij 1697.

7bug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 21
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4616

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 21
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4616

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 21
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4616

ad 21

NOBILISS^mo

ILLVSTRISSIMOQ.

CONSTANTINO HVGENIO

C. SALEHEIMI

et in

ZVYLICHEM TOPARCHÆ

etc.

HAGAM Comitis

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 21
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4616

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Wendelinus) 21
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4616